

dum. Imprimis enim arborum plantilæ, ut suo tempore non solum multos, sed etiam delicatos fructus afferant, in separato horti loco, quem *scholam* hortulani appellant, simul plantantur, in eoque quasi edreantur; deinde, ubi adoleverint, in varias horti partes transplantantur ac distribuuntur. Sic educandi sunt homines, ut fructum honorum operum afferant, et prosint Ecclesiæ ac reip. Ad scholam mittendi sunt, ut sub cura unius magistri, quasi hortulani, excolantur disciplinis et virtutibus: alioquin, si sibi relinquuntur, nec sibi, nec aliis proderunt. Jam vero inter arbores pauca tales plantæ sunt, quæ sub cura hortulanorum, in *schola*, uti vocant, educantur ad hoc, ut hortos magnatum non solum adornent, sed etiam pretiosis et delicatis fructibus repleant. Pleraque negliguntur et sibi relinquuntur, quomodocumque adolescent: non potantur, non purgantur, neque irrigantur, et vix ulla cura eis adhibetur: unde fit ut parum durent, sed mox emoriantur, vel musco obducantur, evadant tortuosæ et horridæ quasi silvestres, parumque fructificent. Hoc vidit cæcus ille, jam ex parte videns; plerumque nimirum filios sine cultura adolescere, et sibi relinqui. Vidit etiam hoc et reprehendit in Megarensibus Diogenes ille, satis oculatus, qui, ut refert *Ælianus*, l. XII. var. hist. c. LVI. dicebat: *Se Megarensis arietem esse malle, quam filium.* Quo significabat, Megarenses pecoris diligentem curam gerere, quam liberorum. Nil enim aliud docebant, nisi sordidam frugalitatem et avaritiam, teste *Rivè*, l. II. de fem. christiana. Quod sane in malum parentum cedit; inde enim fit, ut filii parentum ipsorum vitæ et opibus insidiantur. Jam si hoc gentilis homo in gentilibus reprehensione dignum et absurdum judicavit; quanto magis hoc ipsum absurdum erit videre in Christianis? Mos antiquus fuit, ut parentes, quo die natus est eis filius, eodem in horto suo arborem depangerent, inciso filii nomine. Ita docet *Donatus*, dum *Maronis* refert vitam: *Virga*, inquit, *populea, more regionis, in puerperis eodem statim loco depacta, ita brevi coaluit, ut multo ante satas populos adæquarit.* Die etiam quo natus est *Marius*, plantata creditur quercus, quæ ab illo *Mariana* vocata est, de quo *Cicero*, l. I. de legib. Et quid sibi per hoc voluere veteres? An ut memoriam filii etiam abfuturi aliquando, domi semper præsentem haberent? An potius ut intelligerent filios, non secus ac novas plantulas magna cura et industria sibi excolendos, quo nimirum domui suæ, ornamentum sicut et incrementum culturæ suæ afferrent, sicut horto afferunt arbores bene cultæ? Ita sentio.

Secundo, arbores pleræque suum tempus,

quo fructum ferant, habent, utpote semel tantum in anno; pauca bifera aut trifera sunt, ut ficus. Multi etiam reperiuntur homines, qui si in anno semel boni operis aliquid faciant, confiteantur et communicent; vel si olim aliquid boni fecerint, satis sibi fecisse putant. Sed illi meminisse debent ficum, quæ absque fructu reperta fuit a Christo, maledictam fuisse, indeque exaruisse, *Matth. XXI.* tametsi, ut *Marcus* addit, cap. XI. *Tempus fructuum non erat.* Nimirum docere voluit Christus, ne in virtutum progressu imitemur arbores, quæ certo tantum tempore fructificant; sed ut nullo tempore steriles inveniamur: quin potius virtutum studio assidue incumbamus. Similes esse nos decet ligno vitæ, quod describitur *Apoc. XXII.* et affert fructus duodecim: *Per menses singulos fructum suum*: dandam proinde operam ut singulis mensibus singulos peculiarium bonorum operum fructus edamus, uti confessionem et communionem mensuram; aliisque piis operibus, quantum fieri potest, semper studeamus, juxta id *Ecclesiasticus IX.* *Quodcumque facere potest manus tuâ, instanter operare.* Quod etiam palma docet, quæ singulis mensibus singulos protrudit ramos, teste *Pieri*, l. L. hierogl. cui similem esse justum ait propheta, *Ps. XCI.* *Justus ut palma florebit.* Denique, videmus communiter arbores ternis dumtaxat annis fructum ferre. Sic etiam multi ambulant, quia ad tempus propter instantes necessitates orationi incubuerunt: postea lassati desinunt orare, contra id apostoli ad *Rom. XII.* *Orationi instantes*: et ad *Coloss. IV.* *Orationi instate.* Non mirum de arboribus si fructus alternent; quia nimum se exhaurirent, et fructibus nos obruerent. Non timendum hoc de nobis, si instemus orationi.

III. Si consideremus apprehensionem sensuum nostrorum, multoties videntur homines ambulare velut arbores, et arbores velut homines. Primo, quando præalta arbores vento agitantur. Tunc enim apparent quasi emigrare, et stationem suam deserere velint; verum cacumina tantum et frondes movent, non stipitem, quæ terræ affixa eodem semper loco hærent. Pari modo homines multi, peccatis valde affixi, videntur interdum moveri in concione, aut in aliqua tribulatione et calamitate, seu propria, seu aliena: rursum in confessione, præsertim in periculo mortis; et tunc concipiunt aliquod emendationis propositum, promittunt confessorio quiddam ille injungit et suadet; verum capite solum annuunt, non corde; ore promittunt, opere fallunt; vento enim ægritudinis, tribulationis, timoris vel reprehensionis cessante, eodem loco et luto infixi manent, quo prius hærebant; quia nihil serio promiserunt vel propo-

suerunt. Exemplo est in primis *Pharao*, qui, cum castigaretur plagis, promisit se dimissurum populum: *Videns autem quod data esset requies (alii legunt respiratio) ingravit cor suum; et non audivit eos*, *Exod. VIII.* Exemplo est *Arianus* præfectus *Hermopoli*, qui sub *Diocletiano* *S. Sabiam* martyrem dum affligit, in medio fluminis navigans, tempestate obruitur, et tamen non fluctibus hauritur, itaque sancti quem in vinculis cruciatur et adhuc detinebat, opem implorare coactus, Christum confitetur, et postulata charta scribit: *Unus est Deus Sabini, Christus Jesus, post quem non est alius*: Verum, ubi ad hanc confessionem tempestas cessavit, ipseque incollumis evasit, postea ad indolem reversus, immanius quam prius sævit in martyrem, demumque saxo alligatum in flumen demersit, *Metaphr.* apud *Surium*, 13. mart. Similes huic multi, quando comprehenduntur periculoso aliquo morbo, tum ad confessionem fugiunt, et promittunt quidem emendationem; sed multoties ore tantum; uti ferè qui in luxuria luto infixi sunt, et ubi convalescunt, redeunt ad antiquam silvam adeoque ostendunt se fite promississe, aut non serio proposuisse.

Secundo, quando navigantes prætervehuntur juxta silvas: tunc videntur ipsi sibi quidem stare, silvæ autem et arbores ambulare, cum è contra ipsi transeant, arbores nullo modo. Tales non pauci sunt, qui perverso judicio opinantur aliquos ambulare ad infernum, quomodo arbores steriles et inutiles pergunt ad ignem, se vero stare in securo loco et gratia Dei, cum contrarium sæpe verius sit. Ita nimirum *Heli* sacerdos piissimam feminam *Annam*, labiis tacite motis orantem, judicavit et appellavit temulentam, dicens: *Usquequo ebria eris? Digere paulisper vinum quo mades*, l. Reg. I. interim seipsum non vidit currentem ad supplicium, ob nimiam erga filios indulgentiam. Ad *Macarium* *Egyptium*, seu senioem, adduxerunt aliquando parentes ex vicino oppido filiam, reputantes eam magicis artibus conversam esse in equam, implorantes ejus opem, ut puellam pristinae formæ restitueret. At ille ait: *Ego hanc, quam ostenditis mihi puellam, video nihil in se peccudis habentem: hoc autem quod dicitis, non est in ejus corpore, sed in oculis intuentium.* Itaque sacro oleo eam ungens, non tam puellam, quam parentum oculos effascinosos sanavit, *Palladius*, c. XIX. in vitis patrum, l. II. apud *Rosw.* Sic nimirum sæpe contingit, ut alios intueamur velut pecudes, cum nos ipsos tales esse nesciamus: quemadmodum qui vertigine laborat putat omnia circa se gyrrari, se vero immotum stare: cum revera gyret ejus cerebrum tantum. Erant in hujusmodi errore *Judæi*

illi, qui nuntiabant Christo de Galileis, quos *Pilatus* occidit in monte *Garizim*, dum sacrificia reprobasset, velut hominum reproborum, ipsique ad interitum ivissent. Quibus *Dominus*: *Non dico vobis, sed nisi penitentiam habueritis, omnes simul peribitis.*

Rectius longe ageret qui alios omnes pios ac bonos, ad cælum properantes, seipsum vero reprobum et ad inferos currentem judicaret ad suam confusionem et vitæ emendationem: exemplo illius coriarii *Alexandrini*, de quo revelatum fuit *S. Antonio* ipsum nondum pervenisse ad illius perfectionem. Quare *Antonius* pergens *Alexandriam*, eum perquisivit et percurrit, ut sibi recenseret opera sua. Cui ille: « Nescio me aliquando aliquid boni perpetrasse: unde et ex cubili proprio mane consurgens, antequam in opere meo resideam, dico quod omnis hæc civitas a minore usque ad majorem ingrediatur regnum Dei propter justitias suas: ego autem solus propter peccata mea pœnam ingrediatur sempiternam. Quod verbum, antequam quiescam, sero ex cordis mei recenseo veritate. » Quod audiens *Antonius*, respondit: « In veritate, fili, sicut bonus aurifex sedens in domo tua cum requiete, regnum Dei adeptus es; ego autem veluti sine discretionem omne tempus meum in solitudine conversatus, necdum verbi tui assumpsi mensuram, » apud *Rosweid.* in vitis patrum, l. VII. c. XV.

Laudandus de hac humilitate etiam *Alexander abbas*, in prato spirit. c. CLXVIII. qui ingerebat fratribus suis: « Patres nostri deserta et tribulationes persequerentur, nos autem civitates et requiem sequimur: sub patribus nostris vivebant nuditas et humilitas, in nobis autem avaritia et superbia regnat: vae tibi, *Alexander*, vae tibi, quanta erit confusio tua quando ceteri coronabuntur! » Pie autem de suisque similibus judicabat *S. Augustinus*, cum dixit: « Surgunt indocti, et cælum rapiunt, et nos cum doctrinis nostris, sine corde, ecce ubi? Voluimus in carne et sanguine, » l. VIII. confess. c. VIII. Sic ergo et nos ambulemus, ne cum infrugiferis arboribus in ignem ambulemus.

CONCIO III.

QUÆ RETINEANT PERVERSOS, NE CONVERTI ET BONOS FERRE FRUCTUS QUEANT.

I. Prava consuetudo. — II. Infamia. — III. Respectus humanus. — IV. Amor insanus mundi et voluptatum. — V. Dæmonis laquei. — VI. Subtractio gratiæ divinæ.

THEMA.

Non potest arbor mala bonos fructus facere.

Matth. XXI.

Jure merito tremur, et conscientiam nostram convenimus, quando cœlum procellas et fulmina ejaculatur: *Leo enim tunc rugit* (dicebat S. Ceadde episc. Anglus, apud Bedam in hist. Angl.) *quis non timebit?* Fulminare videtur Christus in hodierno evangelio, et uno quasi ictu mactare omnes peccatores, quando ait: *Non potest arbor mala bonos fructus facere: et rursus: Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.* Qualia hæc tonitrua! Qualia fulmina! Quis enim non intelligit per arborem malam designari peccatorem? At vero fructus, ut ait Dominus, bonos ferre arbor mala nequit: *Numquid enim colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus?* ut paulo ante dixit Dominus.

Ergo actum erit de peccatore, dicet aliquis; in ignem ergo mittetur. Verum hoc non sequitur: potest homo malus malam exuere voluntatem, et sic evadere bonus, adeoque bonos quoque fructus facere; qui dum malam habet voluntatem, non nisi malos faciet. At vero quam difficile sit, ut homo inveteratus malorum fiat bonus, hoc vult dicere Dominus, quasi fieri nequeat, moraliter loquendo. Quis enim facili negotio arborem agrestem, quæ acerbos gignit fructus, commutabit in hortensem, ut ferat dulces? Nihil difficilius est mutare peccatorem ex perverso in bonum. Quæ vero huic mutationi obsistant, nunc videbimus.

I. Prava consuetudo, quæ transit tandem quodammodo in naturam, ut mali videantur sibi non posse a peccatis abstinere, et ad meliorem frugem redire. Gravissimis verbis hoc testatur Jer. cap. XIII. *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas: et vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum.* Quæ sententia non ita intelligenda est, quasi absolute et omnino sit impossibile consuetudinem inveteratam exuere; sed modo loquendi vulgari, quod admodum difficile: quomodo etiam Diogenes, cum improbum argueret, dicebat: *Æthiopem lavo*, apud Anton. in meliss. c. XXXII. Videmus quam raro et quam difficulter exuamus patriam linguam et pronuntiationem, quam a parentibus et teneris unguiculis didicimus. ut pene impossibile nobis sit desuescere. David adhuc juvenis *sestis* robustus erat ad ferenda arma, pugnaturus cum Goliatho; nihilominus, cum armatura Saulis indutus esset, dicebat: *Non possum sic incedere, quia non usum habeo*, 1. Reg. XVII. q. d. contrario ac levi vestitui, pastorali scilicet assuetus sum. Prius enim est

habere non usum, quam non habere usum, ut dialectici docent; indicat enim contrario usui assuefactum esse; quale esset facere bonum, cum non solum id non didiceris, sed contra didiceris malum. Demonstravit hoc senior quidam suis discipulis, apud B. Doroth. serm. XI. quando uni ex illis discipulis imperavit, cupressum ut evelleret: quæ, cum adeo esset parvula, statim perfacile avulsa est, una tantum admota manu: postea ostendit alteram majusculam, quam duabus apprehensam manibus evulsit: rursus ostendit tertiam, deinde quartam majorem, et deinceps, donec nec solus, nec cum socio eas valuit, ob earum magnitudinem, evellere. Tunc senex, conversus ad omnes discipulos suos, ait: «Ad hunc modum sunt passiones et affectus nostri: dum parvuli sunt et recentes, summa facilitate et quiete, modo velimus, excidere eos et extirpare possumus; si vero eos uti parvulos et exiguos neglexerimus, paulatim obdurescent, nec valebimus eos extirpare, nisi maximo conatu et labore. Facile enim est rivum, cum primum a fonte scaturit, quocumque volueris flectere; ac ubi aliorum fluminum accessione auctus est, vix ulla arte possis ejus impetum reprimere, aut rursus alio deviare: ita facile est vitium adhuc recens natum abscondere; at, multis annis corroboratum, quis facile superare queat? *Ante languorem*, itaque, *adhibe medicinam*, Eccl. XVIII. Innato quodam vitio levitatis et pronitatis ad ridendum laborabant Tirynti, ideoque ad res serias gerendas plane inutiles erant; qui proinde ad oraculum Delphicum confugisse dicuntur, precatum ut hoc vitio liberarentur, vaticinatumque deum fuisse, immolatum Neptuno taurum, si continentes risum, in mare abjicerent, cessaturum eam ridendi pronitatem. Illos autem metuentes ne quid peccarent adversus oraculi responsum, sacro pueri ne interessent, vetuisse, unum tamen, cum id rescivisset, turbæ permixtum, ridiculum quid dixisse, inde cæteros quoque ridere incepisse, sic demonstratum operam ludi in consuetudine inveterata, quasi in altera natura emendanda. Refert Athenæus, l. VI. diphnosophiæ.

II. Infamia, in quam qui semel incidit, jam pudorem omnem exuit, adeoque ad sanam mentem redire quasi nullo modo potest; uti patet in mulierculis, quæ ob prostitutam pudicitiam factæ infames, pulsæ sunt e civitatibus: in furunculis et crumenicidis, qui semel ad numellas tracti, auribus truncati, vel alia publica ignominia affecti sunt. Hi enim, cum omnium odium incurrerint, a nemine recipiuntur aut juvantur; unde, quasi necessario, in pristinum vitiorum barathrum se immergunt, ut vitium

quomodocumque sustentent: similes arbori decorticate, quæ diu vitam suam tueri nequit, defluente undique nativo humore, et affligentibus eam tempestatibus. Unde Joel, cap. I. de gente Chaldæorum Judæam vastatura vaticinatur: *Ficum meam (synagogam) decorticavit: nudans spoliavit eam, et projecit.* Projecta autem ficus quomodo fructus feret? Qui vestimento caret, aut sordido nimis indutus est, dicet se coram honesto viro apparere non posse. Fama hominis morale vestimentum est, quo si nudatus sit aut sordidus, hoc ipso ab honestorum consortio exclusus est: cum abjectis ergo abjecte vivere compellitur. Patet in Caino, qui peracto parricidio, licet Deus impunitatem ei promitteret, licet parentes suos penitentiae addictos cerneret, ipse tamen ad meliorem frugem minime rediit, sed pejor evasit, factus tandem dux latronum, ut scribit Josephus, lib. I. antiq. cap. III. Quam ob causam? Quia ejectum se a Deo et hominibus videns, membrorum tremore notus omnibus factus, jam quasi stigmaticus, coram aliis apparere non est ausus, ideoque velut latro latibula tantum quærere, et malefactis se totum tradere quasi coactus est, ut indicat illis verbis: «Ecce ejicis me hodie a facie terræ, et a facie tua abscondar, et ero vagus et profugus a terra: omnis qui invenerit me, occidet me. Quia ex tremore corporis, et furiatæ mentis agitatu, quisque eum me esse intelliget, qui mereatur interfici, » ait S. Hieronymus, epist. CXXXVII. ad Damasum, quæst. 1. Itaque, ne ab aliis invaderetur, ipse potius alios prior invadere quodammodo compulsus est.

III. Respectus humanus, quem Dei gloriæ præferunt, quod indicat Dominus, Joan. V. arguens Judæos: *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem quæritis, et gloriam quæ a Deo est, non quæritis?* q. d. placere mundo potius quam Deo vultis: ideo evangelio meo, quod humilitatem, patientiam, paupertatem, res a mundo spretas prædicat atque inculcat, credere non potestis; quia: «Nemo potest duobus dominis (contrariis) servire ac placere.» «Quasi enim natura necessitateque accidit omnibus, qui gloriam hominum venantur, ut gloriam Dei amittant, et a solo Deo decidant, » inquit S. Cyrillus in eum locum. Abstulerat Rachel furtim idola quædam parenti suo, Genes. XXXI. discedens cum marito; et cum parens insecutus scrutaretur eorum tabernaculum, quærens idola sua, Rachel super ea, expansa veste, sedit, nec assurgere voluit, imo se non posse dixit: *Ne irascatur dominus meus, quod coram te assurgere nequeo*, inquit, sed cur? *Quia juxta consuetudinem feminarum nunc accidit mihi*, ait. infirmitatem fingit, sed fingit tantum, quia re-

vera non infirmitas, sed pudor et respectus humanus causa fuit, quod minus assurgere posset; quia deprehensa furtiva rea, timuit; quod ne fieret, ideo: *Assurgere nequeo*, ait, non possum meipsam confusioni exponere. Quam multi hoc respectu moti aliena nunquam restituunt; quia: Non possum, inquit, me confundere et prostituere ridendum aut fabulam hominibus! Novi hominem, qui concioni nunquam interesse solitus, cum de hoc neglecto a me interpellaretur, mihi hoc responsum dedit: *Quid dicturi essent homines, si me aliquando in concione viderent?* Non possum eas audire sine mei derisione. Ecce quid non potest hominum respectus!

IV. Amor immoderatus et quasi insanus rerum terrenarum, sed præsertim carnis voluptatum; quod colligimus ex eo, qui ad cœnam magnam invitatus, respondit: *Uxorem duxi, et ideo non possum venire*, Luc. XIV. Amor enim rerum terrenarum viscus est spiritualium panarum, ait glossa ex S. Gregorio: quod etiam designatum in idolis, sensu morali, quibus Rachel insidens, dixit se non posse surgere, ne videlicet parenti ea reddere cogere. Viderat ea a patre in maximo pretio et æstimatione haberi, et forsitan erant aurea vel argentea. Hujusmodi idola sunt voluptates, opes, bona aliena, propria existimatio nimium adamata; quibus incident atque adherent aliquando pertinaciter, ut plane ea deserere nequaquam posse se existiment, quo modo ficus illa, in apologo, ab arboribus requisita ut rex earum fieret, respondit: *Numquid possum deserere dulcedinem meam fructusque suavissimos, et ire, ut inter cætera ligna promovear?* Jud. IX. Exemplum refert Septemcastrens, cap. XXI. de quodam christianæ fidei desertore, apud Turcas constituto. «Illum in familiari colloquio interrogavi, inquit: Quare hoc fecisti? Aut quid te movit? Nihil aliud, respondere poterat, quam: Maledicta dies sit, in qua hoc feci. Ergo non reverteris ad fidem Christi? Tum ille, retorto collo et averso vultu: Non possum, inquit. » Nimirum tenuit illum viscus, sive is esset uxor, ac liberi, sive opes inter Turcas partæ, sive aliud quid. Quod amor nimius, hoc etiam præstat odium vatianum, quale occupat fratres Josephi; de quibus dicitur, Gen. XXXVII. *Oderant eum; nec poterant ei quidquam pacifice loqui.* Bene ergo Jacob descripsit odium illud, quando dixit: *Fera pessima comedit Joseph.* Quis a fera pessima expectet aliquid boni?

V. Dæmonis laquei, quibus perversi retinentur, velut musca in tela areneæ: laqueis involuta, unde emergere non nisi difficillime potest. Talis enim homo dicitur: *Venumdatus in peccatum.* Achab. III. Regum XXI. et Is. XLII. *Quis cæcus, nisi venumdatus est?* Et cui alteri, nisi dæmoni,

cujus imperio paret? Sunt inter peccatores qui operam suam ad tempus tantum locant, alii, qui seipsos omnino et vendunt, ut jam redimere nequeant, nisi difficillime, quemadmodum Achab Jezabeli suæ in servitutem, quasi mancipium, adductus fuit, ut ejus imperio resistere non posset, sed per omnia obedire amore ejus, cæcatus et vecors effectus, cogerebatur. Pulchre id declarat S. Anselmus, ut est in ejus vita, apud Surium 21. april. Aliquando conspexit puerum cum avicula in via ludentem: « Quæ avis, pedem filo annexum habens, sæpe, cum laxius ire permittebatur, fuga sibi consulere cupiens, avolare nitebatur. At puer filum manu tenens, retractam usque ad se dejiciebat; et hoc ingens gaudium illi erat. Factum est id frequentius. Quod pater aspiciens miser condoluit, ac ut, rupto filo, libertati redderetur, optavit. Et ecce filum rumpitur, avis avolat, puer plorat, pater exultat; et vocatis nobis: Considerastis, inquit, jocum pueri? Et confessis considerasse, ait: Simili consideratione jocatur diabolus cum multis hominibus, quos suis laqueis irretitos, pro sua voluntate in diversa vitia protrahit. Sunt enim quidam, ut verbi gratia dicam, avaritiæ, aut luxuriæ et similibus flammis succensi, et ex magna consuetudine illis addicti. His contingit aliquando ut sua facta considerent, defleant, seque modo a talibus cessaturos sibi promittant. En more avis se volare liberos autumant. Sed, quia pravo uso irretiti, ab hoste tenentur, volantes in eadem vitia dejiciuntur. Fitque hoc sæpius, nec omnimode liberantur, nisi magno conatu per respectum gratiæ divinæ, filium pravæ consuetudinis dirumpatur. » Confirmat hoc S. Chrysostomus, homil. XXII. in Genes. « Impius inquit, cum in profundum malorum ceciderit, contemnit. Grave enim, grave est, dilecti, capi laqueis diaboli: anima enim postea quasi in retibus comprehensa trahitur; et sicut sus in loco volutabri immergitur, sic et ista, a mala consuetudine obruta, ne sensit quidem peccatorum suorum fetorem. » Laquei et retia ista sunt varia terriculamenta, quæ obijcit captivis suis, ne convertant se, uti timor pœnitentiæ, desperatio veniæ aut constantiæ in proposito bono, pudor confessionis, respectus humanus, et similes cogitationes, quibus eos opprimit, involvit et retinet. Et in epistola ad Theodor. « Hoc est, quod non permittit eos respicere, neque eo reverti, unde exciderant. Nam flagitiosa desperatio perinde atque collarium incumbit in animæ cervicem, et compellens oculos in terram demittere, prohibet ne ad Dominum suum suspiciant; » quasi in ergastulum dæmonis compacti, ne jam sui, sed ipsius sunt. Accedit S. Gregorius, lib. II. moral. cap. 1. ubi

ait: « Reprobi quidem corda sua non habent, quia ea diabolus possidet; unde et de proditore dicitur: Cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iscariotis. Etenim Judas et non diabolus possideret, ipse potius in eo bonum, quam diabolus malum poneret. » Nemo enim facile semen bonum in alienum agrum projicit, nec semen malum in agrum suum.

VI. Subtractio gratiæ divinæ, proveniens ex demeritis præcedentibus, et spretis Dei auxiliis ac vocationibus. Eo spectat quod Ecclesiasticus, capite VII. ait: *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille desperaverit.* Quo loco p. Joannes Lorinus distinguit despectorum a Deo triplex genus: eorum, qui sunt in peccato mortali, quamvis forsitan sint de numero prædestinatorum (pro eo enim tempore despicuntur): deinde, eorum, qui sunt reprobatii, etiamsi pro aliquo tempore sint justii: denique, eorum, qui peculiari modo, propter multa et gravia peccata, per subtractionem maximam auxiliorum ac permissionem tentationum, dicuntur dimitti ac tradi in desideria cordis sui, Psal. LXXX. v. III. Rom. 1. v. XXIV. atque derelinqui a Deo. Hos ultimos (de quibus hic loquimur) nemo dicitur posse corrigere, quia vix unquam, vel rarissime se convertunt, ac acquiescunt bonis aliorum consiliis. Quod autem vix unquam fit, impossibile dicitur. Audiamus de hoc lib. II. de Cain et Abel, c. IX. *Nihil gravius, inquit, quam errantem a Deo deserere, ut se revocare non possit* (moraliter loquendo). « Mors peccatoris finem peccando affert; vita autem divino gubernaculo destituta præcipitatur, et in graviora prolabitur; ut, si gregem pastor relinquat, incurrent bestiæ; ita, cum Deus deserit hominem, ingruit diabolus. Serpit malitia, vulnus augetur, ubi medicina defuerit. » Sic ille. Quemadmodum enim Phærao, ubi Moysen a se repulsi verbo illo: *Cave ne ultra videas faciem meam*, Moyses respondit: *Ita fiet, ut locutus es, non videbo ultra faciem tuam*, Exod. X. XXVIII. XXIX. paulo post secuta est demersio ejus et interitus: ita, ubi Deus recedit a peccatore, nec amplius eum movet, reprehendit, castigat, nisi forte vulgaribus tantum auxiliis, quibus absolute quidem moveri posset non tamen movebitur; tunc actum est de salute ejus. Toties enim repulsus Deus, et quasi recedere jussus, cum vocaret peccatorem, tandem ita recedit, ut non aspiciat eum amplius oculis misericordiæ specialis; neque excitet a lethargo, in quo miser quiescere et perire vult. Recedente sole a nostro climate, et nonnisi modicum lumen caloremque terræ nostræ impertiente, cessant fruges, incipit sterilitas, induratur frigore terra: recedente

a nobis Deo, et subtrahente copiosam illam gratiam suam, quid nisi sterilitas et induratio cordis nostri superest? Exempla passim occurrunt. Herbertus episcopus. Chrysopoli, schismaticus, vexator catholicorum et religiosorum improbus, tactus ægitudine lethali, et visitatus a Bellevallesi abbate: « Conventusque de confessione peccatorum, et de pœnitentiâ admonitus, pugillum stringit, et applicans ori, buccinabat in eo: post modicum vero, deponens manum quam strinxerat, ore canebat, quasi monitorem suum derisui haberet et exploderet. Erubuit abbas quod non posset aliud obtinere responsum: et agnoscens judicium Dei, non sine multa confusione recessit. Necdum Herberti cadaver efferebatur infaustum, clamante populo et dicente: Benedictus Deus, qui tradit impium, » ita Gaufrid. abbas Altæ Tumbæ, in vita S. Pet. archiepiscopi. Tarantasi, apud Sur. 8. maii; bene in plaustro boum evectus est qui bovis instar vixit. Cui non absimilis fuit Fridericus Cileiæ comes; qui, ob amorem concubinæ, uxorem interfecit, atque deinde inter scorta turpissimam vitam egit. Huic ex amicissimis quidam, pœnitentiâ suasurus, ait: « Annum jam supra nonaginta agis, nec minus voluptati servis, quam si sis adolescens. Age, jam demum moriturum te scito, atque de sepulcro cogita. Cui Fridericus: Istud, inquit, ago. Nam sepulchrali marmori hoc epigramma inculpandum statui: Hæc mihi porta ad inferos. Quid istic reperim, nescio: scio, quid reliqui: abundavi bonis omnibus, ex quibus nihil fero mecum, nec quod bibi atque edi; quodque inexhausta voluptas exhaustit. Tum amicus, Sardanapali epitaphium, inquit, memoras, quod, Aristotele teste, non hominis, sed bovis sepulchro inscribendum fuit, » ita Aeneas Sylv. refert, l. 1. comm. in Panormit. Ecce vobis quam vere dictum sit a Domino: *Non potest arbor mala fructus bonos facere*: et illud Jerem. *Si mutare potest Æthiops pellem suam?* Et id Ecclesiastici: *Perversi difficile corriguntur.*

CONCIO IV.

QUÆ RETINEANT JUSTOS NE PECCARE QUEANT.

I. Recordatio beneficiorum a Deo acceptorum. — II. Strages meritorum nostrorum. — III. Præsentia Dei in omni loco. — IV. Turpitudine et servitus peccati. — V. Timor securæ pœnitentiæ. — VI. Timor extremi judicii. — VII. Timor mortis.

THEMA.

Non potest arbor bona malos fructus facere.

Matth. XXI.

Erit forsân aliquis prudentulus, qui depre-

hendere velit fallaciam in argumento Christi, quo ostendit ex similitudine arboris, non posse hominem bonum afferre fructum malum. Quod enim bona arbor bonos fructus tantum afferre queat, facile concedet; sed negabit id de homine, qui per liberum arbitrium, quod non habet arbor, movere se de bono ad malum potest. Sed defendit et explicat magistrum suum charissimus atque illuminatissimus discipulus Joannes, epist. 1. c. III. cum ait: *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet: nec potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Quodnam illud semen? *Semen est verbum Dei*, ait Dominus, Matth. XIII. Jam sicut arbor, ob vim seminis boni eam vegetantis, nequit ferre fructum malum, dum ab ea non deseritur; ita et vis verbi divini in homine operantis, quamdiu in ipso manet, non permittit hominem bonum ferre fructum malum: eo modo quo Mithridates Ponti rex veneni antidoto a puero assuetus, cum a Romanis obsessus, venenum hausisset, mori non potuit, Plin. l. XXXII. c. IX. Quæ autem sit illa tam potens vis et energia verbi seu doctrinæ christianæ, nunc videndum.

I. Recordatio beneficiorum, quæ a Deo accepimus, et quotidie accipimus. Ponamus enim aliquem servum a domino benignissime habitum, ditatum et exaltatum, habitumque instar filii, instigari ut dominum occidat; nonne dicet: Hoc non possum? Exemplo est Joseph, qui tentatus de stupro a domina sua, memor beneficiorum, quæ a Domino suo acceperat: *Quo modo, inquit, possum hoc malum facere?* Gen. XXXIX. S. Polycarpo proconsul dicebat: *Christum injuriis affecit, et te dimittam, respondet Octoginta sex annis illi jam inserviivi, et nullo modo hactenus affecit incommodo; quomodo igitur regem meum, qui me hucusque servavit incolumem, injuriis possum afficere?* 26. jan. Lip. Carol. IV. imp. hominem, qui sibi necem pararat, ad se vocavit, eique aureos mille dedit dono, quibus nobilem filiam nuptui collocaret. Homo gratias egit, et ad conspiratores regressus: *Tam liberalem et clementem principem, inquit, ferire nullo pacto possum, Aeneas Syl. IV. in com. Panorm. En nec improbus quidem potuit ferire imperatorem, a quo unum beneficium accepit! Quot nos quotidie a Deo accipimus! Fierine igitur possit, ut homo probus offendant Deum, adeoque arbor bona malum fructum faciat?*

II. Strages meritorum nostrorum omnium, quam facit unicum peccatum mortale: evertit enim omnia nostra bona opera, quæ prius comparavimus. Audimus mercatores, quando eorum merces viliori pretio ab illis extorquere volumus, sæpissime dicentes: Non possum.